

Valet ad dentes dealbandos, & ab eis putredinem auferendam.

DENTRIFICIUM ANTISCORBUTICUM.

R. Radicis Pyrethri, . . . }
 Corticis Uvinterani, . . . } ana drachmas tres.
 Macis, . . . }
 Terræ Catechù, . . . }
 Aluminis usti, . . . } ana drachmam unam.

Omnia pulverisentur, & cum sufficiente mellis rosati quantitate, fiat pasta mollis, qua dentes fricantur.

In putredine gingivarum, & earum scorbuto prodest.

Nota, quod dentifricium liquidum est liquor acidus, nempe spiritus sulphuris, nitri, vitrioli, &c.

Ejus usus est cum paucis gossipii in liquore immersi, dentes fricare, ut mundentur; sed cautè, nam facile corrosionem inducit, atque stuporem.

CAPUT XXII.

DE FRONTALI.

Frontale est medicamentum externum ex variis medicamentis compositum, formam epithematis, emulsionis & pulmenti habens, quod frequenter ad capitis dolorem, ac ardorem frontis applicatur.

FRONTALE ASTRINGENS.

R. Pulveris Boli Armenæ, . . . }
 Rosarum, . . . } ana drachmam unam.
 Terræ Sigillatæ, . . . }
 Mastiches, . . . drachmam semis.
 Salis Saturni, . . . scrupulum unum.

176 PHARMACOPOEA MATRITENSIS.

Misce, & cum albumine ovi, & parum aquæ rosarum agitentur, ut fiat pulmentum, quod in stupis cannabinis extendatur, temporibus & fronti admovendum.

Ad fluxiones in aures, & oculos sistendas valet; ac narium hæmorrhagiis confert.

FRONTALE ANODINUM.

R. Pulveris Florum Nymphææ, }
Rosarum Rubrarum, } ana drachmas duas.
Unguenti Populeonis, . . . unciam semis.

Cum sufficienti olei Solani quantitate fiat linimentum, quod extensum in stupis cannabinis fronti, & temporibus applicetur.

Ad capitis dolorem, fervoremque mitigandum, & somnum conciliandum, valet.

CAPUT XXIII.

DE CUCUPHIS, ET SEMICUCUPHIS.

Cucupha est medicamentum siccum, seu tegumentum capitis, ex cephalicis magis odoratis, quæ in pulverem redacta, & gossipio excepta in pannum sericum interponantur.

CUCUPHA ROBORANS.

R. Iridis Florentiæ, . . . }
Santali Citrini, . . . } ana unciam semis.
Caryophyllorum, . . . }
Macis, . . . } ana drachmam unam.
Benzoini, . . . }
Styracis Calamitæ, . . . } ana drachmas tres.